



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Modus est in restitutionibus obseruandus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

sed in carere alienis. Et similiter si damnum magnum est lucri cessantis: puta quia si restituit, non potest amplius lucrari: hoc enim est damnum in propriis, sed non posse uti alieno. Notanter quoque dixi ex dilatione, non damnosa illi cui restituendum est: quia si dilatio esset damnosa illi cui debet fieri restitutio, oporteret aut statim restituere, aut illum seruare indemnem. Et rursus verè impotens pro tunc, qui non potest tunc sine famæ suæ detrimento tunc restituere: quia non vult occultum peccatum detegere, sed expectat personam idoneam, qua mediante secreta fiat restitutio: quoniam non tenetur incurrere damnum in rebus superioris ordinis (qualis est fama) ob vinculum ad statim restituendum.

Et ne præceptum hoc de statim restituendo, confidentes & confessores reos simul inuoluat, non sunt absoluendi pœnitentes antequam cum effectu restituant, si in alia confessione absolui neglexerunt restituere. dicentibus enim, hac vice pater restituiam verè &c. responderi debet, credo tibi: & propterea modò in illa bona dispositione vade ad restituendum, & postea absolueris. Debet enim confessor credere pœnitenti pro se, & contra se: sed tamen cum hoc debet etiam cauere ne mora pariat delictum, sicut aliàs peperit.

*Modus est in restitutionibus obseruandus.*

Caput septimum, quomodo est restituendum. Modus restituendi habet difficultatem vnã vniuersalem, multas autem in quibusdam particularibus scilicet incertis, occultis priuilegiatis, fama & bonis animæ. Communis enim quæstio est, an sufficiat restituere rogando sibi remitti à creditore, subsequente remissione. Dubitant enim de hoc quidam pro eo quod non videtur omnino libera remissio illius, qui si



rem haberet, non donaret. Oportet autem in casibus istis non respicere ad præsumptiones, sed ad veritatem animi illius qui remittit. Si enim in veritate & ex corde intendit remittere (quod si ipse affirmat, credendum est: quum solus ipse possit esse certus testis sui cordis) proculdubio tutus est in foro conscientiae ille cui remissio facta est, siue interuenerit ipsius rei oblatio, siue solum verbalis oblatio (hoc est paratum reddere) siue solae preces: hoc est, rogo ut remittas: siue interueniant intercessores: & breuiter quomodocunque ad liberam ex corde remissionem veniatur: quia inde pendet totum negotium. Et hoc intellige si ille potest ad libitum donare: utpote verus dominus debiti sibi restituendi.

Et scito quod quando pauper obligatur ad restituendum diuiti, expedit non offerre diuiti rem restituendam, sed rogare & interponere intercessores ad remittendum, ne affectus ex praesentia rei durior sit ad remittendum, facilius enim remittimus non habita quam possessa. Sed hoc non obstat libertati remissionis, sed prodest ad tollendam tentationem inhumanitatis. Ad particularia verò descendendo, de restitutione incertorum difficultas mouetur an per se vel alium, &c. Veritas tamen est quod tutius homo per seipsum restituit Christo. Potest tamen per fide dignam personam restituere cōfitendo quod melius dabit indigentibus, &c.

Occulta quoque, occultando personae crimen per se vel alium fide dignum reddenda sunt. Priuilegiata autem, hoc est ea de quibus lex statuit quomodo restituenda sunt (ut quum publici usurarii restitutio agenda est) iuxta c. quanquam. de usur. in vi. secunda est lex Famam falso ablatam tenetur restituere dicendo se falsum dixisse. Si autem non falso ablata est, debet restitui dicendo se iniuste infamasse. Esto tamen hic prudens;



prudentis: quia si coram populo aut vulgaribus restitutio hæc secunda faciendâ est, debet sic fieri. Sed si coram sapientibus tantum ista restitutio esset confirmatio infamiae: quia intelligentes penetrant quod licet malè & iniuste, veruntamen dixit detrahendo. De bonis autem animæ, si pertinent ad partem intellectiuam: ut si quis damnificauit aliquem docendo falsa, tenetur restituere docendo vera, vel saltem significando illi quod falsa sunt quæ docuit. Si autem pertinet ad partem effectiuam (ut sunt illa quæ ad mores spectant, quæ non possunt ab inuito tolli, nec ab altero possunt restitui) tenetur dare operam ad reducendum eundem ad bonos mores si potest, vel saltem orationibus, ieiuniis, eleemosynis iuuare illum ut resipiscat. Et hæc propriè habent locum quando damnificatio in huiusmodi bonis animæ fuit per se: quoniam si fuit per accidens (puta quia doctor putauit se vera dicere: & lasciuus socium prouocauit ad similes libidines, non ut illi noceret, sed delectationis, libidinis, & huiusmodi causa) satisfaciendum est magis Deo quàm hominibus: ut experientia testatur poenitentium. Satisfacere enim intelligitur vtrique ex eo quòd verè poenitens est: & plus ædificat poenitentia quàm læserat perulantia, ut in Maria Magdalena & alijs similibus videmus.

*Ordo debet in restitutionibus obseruari.*

**C**aput octauum, quo ordine restituendum est; nullus est ordo in restitutione necessarius, si potest omnibus restitui. Sed vbi facultates ad restituendum non supererunt ut omnibus satisfiat: seruandus est ordo iste, ut certa prius restituatur quam incerta: quia illa possunt absq; humano damno omitti, certa autem non. Constat enim omnia restituenda, ad humana damna restauranda ordinari. Et hinc habere  
potes